Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 825

Quelle:
Copyright:

piſtolis conſtans, quarum tamen quae XI. eſſe debet, ad XIII. trajecta eſt. Vide de iis *Fabricii Cod. Apocryph. N. T.* P. I. p. 880. In calce noſtra: *Iſte liber eſt comparatus pro II. Sexag. groſs. minus duobus groſs. Tempore domini Georgij prioris in noua valla ordinis karthuſien. Anno domini vt Supra ſcriptum eſt.* Igitur 1399.

VI. *fol.* 91. non minus eleganti manu *Incipit Opus Origenis tam in proſa quam in Gloſa Super tractatu qui dicitur Cantica canticorum.* Norunt Eruditi, *Origenem* bis in *Cantica* ſcripſiſſe, aut plane ter, ſiquidem *Homiliae* II. quas ab *Hieronymo* latine redditas habemus, neque ad illum, quem Juvenis ſcripſerat, *Tomum*, neque ad X. illos, quorum pars interprete *Rufino* ſupereſt, pertineant. Nihil horum hic, ſed Paraphraſis metrica, quam Titulus incommode *Proſam* adpellat, ſubſequentibus brevibus Poſtillis, ſive *Gloſſa*, et quidem in tota *Cantica*, ut adeo, cum, quae reſtant *Origeniana*, Caput II. non egrediantur, aetate Paraphraſtae aut integra ſuperfuiſſe, quod vix putem, aut mentiri Titulum neceſſe ſit. Praeambula porro nobis tria ſunt. Primo commendatur Autor:

Doctus Origenes cum doctos vicerit omnes
In libris alijs, hoc in libro ſalomonis
Semet tranſcendens fuit eius cantica tractans &c.

Hieronymi Epiſtolam, qua *Damaſo* II. *Origenis Homilias* inſcribit, verſibus hic reddidit Autor. Sequitur *Commendatio operis ſequentis:*

Omni plena bono ſalomonis cantica regis —

Cur vero te teneo? Lector! *Petri de Riga* Paraphraſis eſt ex ejus *Aurora* depromta, quam *Vol.* I. P. I. a *col.* 327. multis Codicibus retuli. Quis *Gloſſam* proſaicam illi ad calcem adjecerit, ignoro. Intercipitur vero illa Narratione prodigiali de Juvene quodam, cujus caput in pugna reſectum B. V. *Mariae* interventu tam diu vivum ſervatum fuit, dum de admiſſis noxis Sacerdoti confiteretur, et ſacra myſteria ſuſciperet. Praemiſſa adhortatione ad eam colendam ita orditur: *Johannes quondam rex iberuſalem* (Briennius, Comes Marchiae ✠ 1237.) *cum ceſſiſſet regno eidem Friderico* (II.) *imperatori genero ſuo, ad mandatum Domini Gregorij IX. ſedis apoſtolice pontificis obſedit caſtrum quod dicitur apud ſanctum ſeueratum* &c. To *eidem Friderico* denotat Narrationem excerptam e quodam Tractatu de dicto Imperatore. Ad calcem *Gloſſae* nova Formula miniata: